Toletana Canonicatus super prętensa Remissoria.

Stantibus &c.

Dubium = *An sit danda Remissoria.*

Reu. Pater. POstquàm Reuerendissimum Capitulum Ecclesiæ Toletanæ per tres Sententias conformes condemnatum fuerit ad restitutionem omnium, & singulorum fructuum Canonicatus, & Prębendæ, de quibus per Sedem Apostolicam prouisus fuerat D. Ioseph Fernandez Iubera Inquisitor Sanctæ Inquisitionis Regni Murtiæ, & dicta Iudicata fuissent canonizata per Signaturam Iustitiæ loco Signaturæ Gratiæ, mediante Rescripto = *S. P.* = expeditæ fuerunt Litteræ Executoriales, cum consueta Censurarum comminatione, cùmque Reuerendissimum Capitulum illis non obtemperasset, non solùm in tradenda possessione D. Principali, tamquàm qualificato ad formam Statuti dictæ Ecclesiæ, sed mediante infamatoria protestatione, quam in actu possessionis publicare fecit in Choro Cathedralis Ecclesiæ per suum Secretarium, vt pleniùs super Dubio declaratoriæ, quod in Rota hodierna proponitur, sed etiàm facta à dicto Capitulo interpellatione, vt fructus Canonicatus, iuxtà formam dictarum Litterarum Executorialium, & Sententiarum Procuratori Principalis consignaret, Reuerendissimum Capitulum respondit, *quòd iuxtà Statuta, & Constitutiones dictæ Sanctæ Ecclesiæ* in Sacra Rota producenda non debebantur Principali fructus, ex quo residentiam non fecit in scamno Patientiæ, vt ex *Summario alterius Dubij Num.* 2 *litt. KKKKK.*

Dominus verò Agens Reuerendissimi Capituli Toletani residens in Romana Curia prò hac Causa, loco producendi Statuta, & Constitutiones, quæ Reuerendissimum Capitulum habere fassus fuit prò facienda residentia in scamno Patientiæ, qui aliud non machinatur, quàm hanc Causam æternare, ac nouis, nouisque dispendijs grauare Principalem, dedit Articulos, super quibus obtinuit subscribi Dubium præinsertum; quod cùm in hodierna Rota proponatur, prò denegatione Remissoriæ rescribendum speramus.

Et quidèm ex validissimis rationibus, primò quià cùm Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Toletanæ in responsione data Litteris Executorialibus fassi fuerunt, quod prò facienda residentia in scamno Patientiæ habebant Statuta, & Constitutiones Ecclesiæ, vtique eo ipso, quod Pars aduersa facere potest probationem per Scripturas exhibendo in Actis dd. Statuta, & Constitutiones Ecclesiæ, proùt De-

canus, & Capitulum dicta Statuta, & Constitutiones in hoc Supremo Auditorio vt suprà producturas falsi sunt, vtique est deneganda Remissoria, quià vbi probatio fieri potest per Scripturas, non debet admitti probatio per Testes, & venit hoc casu deneganda Remissoria, vt probat *Rot. coràm Bichio decis.45. num.1., & coràm Priolo decis.1. num.4., & in Rec. decis.111. num.10. part.6.*, & dixit *Rota in Meleuitana Successionis super Articulis 10. Iunij 1701. §. Quod enim coràm Reuerendissimo Molines, & in Monasterien. Vicariæ super Remissoria 18. Martij 1707. §. Non minus coràm bon. mem. Omanna*.

At quoniàm Reuerendissimus Agens agnouit, quod vigore dictorum Statutorum, seù Constitutionum non posset retardare fructuum restitutionem fauore Principalis illi debitorum, tam ex dispositione Iuris, quàm ex forma Statuti Ecclesiæ Toletanæ confirmati per Sedem Apostolicam, cuius obseruantiam omnes Canonici iurant in primo ingressu, ideò ad æternandam Causam assumere prætendit onus probandi per Testes, quod ictu oculi probare potest per Scripturas, itaùt est deneganda Remissoria, quæ in hoc casu videtur peti per calumniam ad retardandum Causæ exitum cum summo, & grauissimo Principalis dispendio.

Secundò, Est deneganda Remissoria, quià versamur in Iudicio priuilegiato, & priuilegiatissimo, nam sumus in casu, quo Reuerendissimum Capitulum fuit iàm condemnatum per tria Iudicata ad restitutionem omnium, & singulorum fructuum dicti Canonicatus, itaùt Principalis hodiè instat prò declaratoria ob non paritionem Litteris Executorialibus, in quocumque autèm Iudicio priuilegiato, & executiuo non conceditur Remissoria, nisi detur fumus materiæ, quæ fuit articulata, vt probant *Ridolfinus in Praxi part.1. cap.12. num.128.*, *Rota decis.298. num.3. coràm Serafin., & in Recent. decis.286. num.12. part.6., & coràm Coccin. decis.122. num.3.* & proindè eo ipso, quod ex parte Domini Agentis Reuerendissimi Capituli Toletani nullus datus fuit fumus materiæ articulatæ, nèc vlla minima probatio, quæ aliquem ex Articulis concernat, vtique in his terminis videtur omninò deneganda Remissoria.

Indubitantèr quià etiàm examinando singulos Articulos, illi videntur totalitèr irreleuantes, aut veritatem non continentes, nàm in primo articulatur, quod petentes admitti ad possessionem Canonicatus dictæ Ecclesiæ debent super puritate sui sanguinis facere suis expensis concludentes probationes puritatis coràm Canonico Commissario deputato à Capitulo, vt ex Articulis exaduersò dandis, in quo quidèm Articulo duo continentur contrà euidentem facti veritatem, quorum primum est, quod scilicèt Capitulum probare prætendit, quod Petens admitti, juxtà formam Statuti, tenetur facere concludentes probationes puritatis sui sanguinis coràm Canonico deputato à Capitulo, & nihilominùs hoc est falsum, & contrà litteram Sta-

Statuti confirmati per Sedem Apostolicam, in quo Summus Pontifex dat facultatem Canonico Commissario deputato à Capitulo faciendi probationes absque vllo interuentu, aut citatione nouitèr Prouisi, vt ex alio *Summario Num.1. litt.G. & seqq.*, & benè aduertit *Rota in Toletana Canonicatus impressa in parte prima Recent. decis.167. num.32.* ibi = *Secundò quià cura, modusque capiendæ informationis spectat ad solum Capitulum, à quo deputatur Commissarius, qui absente, & ignorante Prouiso recipit probationes, quas, & quamdiù sibi videtur, nec Prouiso licet inducere aliquos Testes* =, & liquet etiam ex Processu facto in hac Causa per Commissarium Capituli, qui examinauit quotquot Testes voluerit, compulsauit Scripturas sibi beneuisas, & Processum ad sui libitum compilauit, & proindè est falsum id, quod articulatur, quod Prouisi debent facere concludentes probationes coràm Canonico Commissario, cùm veritas sit patentissima, quod nouitèr Prouisus, non solùm coràm Commissario nullam facit, imò facere prohibetur quamcumque puritatis probationem, sed Commissarius ad sui libitum Testes examinat, & facit diligentias sibi benè visas, absque eo quod Prouisus in facienda probatione aliquo modo se possit intromittere.

Secunda falsitas materiæ articulatæ in dicto articulo est, quod nouitèr Prouisus facere debeat concludentes probationes suæ puritatis, & nihilominùs statutum id non mandat, sed Prouisus cum habeat prò se puritatis presumptionem tenetur Capitulum ex Processu facto à suo Canonico Commissario probare plenè, & concludentèr quod nouitèr Prouisus descendat à Progenie Hebreorum, vel Saracenorum, vel Hæreticorum, & eo ipso, quod Capitulum non probat infectionem plena, & concludenti probatione, tùnc Prouisus, seù nouitèr admittendus censetur qualificatus ad formam Statuti, & hæc fuit semper constans huius supremi Auditòrij Sententia, vt liquet *ex decis.274. coram Mantica*, & plenissimè examinato Statuto Toletano, *Rota in decis. 167. à num. 31. ad fin. decis. 186. à num.4, ad 9., & decis.196. per totam par.1. Recent.*, & firmant nostræ Decisiones nempè illa *Reuerendissimi Decani §. Neque poterat & illa coram bon. mem. Ansaldo §. Absque eo, & altera coram Reuerendissimo Ponente §. Quin ad offuscandam.*

Idque adeò verum est, vt cum Capitulum in hoc Supremo Auditorio coram Card.Lancellotto petijsset remissoriam ad effectum probandi per Testes contrariam intelligentiam dicti Statuti, nempè quod ex Processu constare debeat de puritate sanguinis Prouisi, fuit per duas vices denegata remissoria ad probandum id, quod hodiè articulatur, vt liquet *ex decis.196., & decis.212. par.1. Recent.* vndè, d super hac Capituli pretensione fuit antiquitùs denegata remissoria, multò magis denegari debet de præsenti præsertim post rem iudicatam fauore Principalis.

Secundò articulatur, quod nouitèr Prouiſus pendentè Informationi non poſſit admitti ad plenariam poſſeſſionem, & reſidentiam in Choro, & fructus percipere, niſi fecerit reſidentiam in ſcamno Patientiæ.

Etenim in eo quod ſpectat ad primam partem, quod nullus poteſt admitti ad plenariam poſſeſſionem Canonicatus, niſi fecerit reſidentiam in ſcamno patientiæ eſt litteralitèr contra Statutum dictæ Eccleſiæ confirmatum à Sede Apoſtolica, & iuratum per Canonicos, in quo cauetur, quod ſi ex Proceſſu facto per Canonicum informantem conſtat de qualitate Prouiſi ſtatim ſit admittendus ad Canonicatus poſſeſſionem *Summario ſuper Dubio declaratoriæ Numero primo*, In reliquis verò dictum articulum admittimus, nam verum eſt, quod ille Prouiſus, qui velit lucrari fructus, ac distributiones ſui Canonicatus, & Præbendæ à die, quo præſentat litteras ſuæ prouiſionis, & donec, & quouſque fiant probationes per Canonicum Commiſſarium oportet, vt reſideat in Scamno patientiæ, itaùt ille, qui non reſideat in Scamno patientiæ non poteſt prætendere fructus à die, quo præſentauit litteras ſuæ prouiſionis, & donec, & quouſque fiant probationes, prò quo articulo non eſt concedenda remiſſoria, tùm quia illum habemus prò probato, tùm quia illius probatio eſſet irreleuaus, quia D.Principalis non prætendit fructus ſuæ Præbendæ à die 12. Septembris 1712., quo præſentauit litteras ſuæ prouiſionis vſque ad diem 2:Ianuarij 1713. quo fuerunt in Capitulo viſæ, & examinatæ probationes factæ per Canonicum Commiſſarium, ex quo in dicto Scamno patientiæ non reſedit, ſed ſolùm prætendit fructus, & diſtributiones ſui Canonicatus à die 2.Ianuarij 1713., quo debebat admitti per Capitulum ad poſſeſſionem Canonicatus, & iniuſtè non fuit admiſſus, hoc enim caſu, tàm ex diſpoſitione Iuris, quàm ex ſpeciali prouidentia Statuti debet haberi prò Reſidente in Eccleſia, & prò præſente horis Canonicis, vt probaui in mea facti ſuper Dubio declaratoriæ, prout à die denegatæ poſſeſſionis hoc Sac.Tribunal Capitulum Aduerſarium condemnauit ad fructuum reſtitutionem, non autèm à die exhibitionis litterarum Apoſtolicarum:

Tertiò articulatur, quod prò aſſumenda, & facienda dicta reſidentia in Banco patientiæ ad effectum lucrandi, & percipiendi fructus à die comparitionis coram Capitulo, vſque ad obtentam plenariam poſſeſſionem nouitèr prouiſus non indiget aliqua permiſſione, ſeù licentia Capituli, ſed poteſt ad ſui libitum accedere ad reſidentiam in d.Banco patientiæ.

Enim quoad hunc articulum paritèr eſt deneganda remiſſoria, nam quidquid ſit, an requiratur licentia Capituli, & aſſignatio ſtalli facienda à Capitulo, prout neceſſarium eſſe credimus, & practicari vidimus in Capitulo Pacen. Canonicatus: dicimus, quod nos volumus haberi pro probato dicto articulo ex eadem cauſa, & ratione, quod

quod Principalis non prætendit fructus dd.Canonicatus, & Præbendæ à die 12.Septembris, qua præsentauit litteras suæ prouisionis vsque ad diem 2.Ianuarij 1713., quo fuerunt visæ, & examinatæ probationes factæ à Canonio Commissario per Reuerendissimum Capitulum dictæ S.Ecclesiæ,& proindè cum dicta probatio esset inutiles, & irreleuans, ac non conducant ad intentum, neque percutiat casum controuersiæ est deneganda remissoria.

Quartò articulatur, quod scilicèt residentia in Banco patientiæ fieri debeat ab omnibus, qui petierunt admitti tam in casu, quo nulla inueniatur difficultas super illius administratione, quam quoad illos, in quibus fuerit necessaria aliqua discussio, aùt lis super dicta puritate, & propria qualificatione, itaùt durante controuersia, & lite semper debet residere in scamno patientiæ, si velit lucrari fructus, & distributiones prò toto tempore, quo lis durauit.

Etenim ista consuetudo est improbabilis, & aduersaretur Statuto dictæ S.Ecclæsiæ, & contra dispositionem Iuris communis, nam cum Rmum Ediscopum Toletanum, iuxtà formam sui Statuti, cuius omnimodam obseruantiam Canonici iurant in eorum ingressu, & iurant etiam de non petendo absolutionem à relaxatione dicti Statuti; vult, & mandat, quod si ex Processu formato à Canonico informante apparet de qualitate Prouisi tùnc decernit, vt à dicta die nouitèr prouisus habeatur pro Residente, & pro præsente horis Canonicis, vtque omnes fructus lucretur perindè acsi resideret, & personalitèr interesset *Summario super Dubio Declaratoriæ num.* 1. *Litt.I.*, vtique aduersus d.Statutum confirmatum auctoritate Apostolica, & per Canonicos iuratum nulla induci potest consuetudo, nèc Statutum illum obligat ad residendum in scamno patientiæ durante lite iniusta super prætensa puritate Prouisi: impeditus enim ex facto iniusto Capituli ad capiendam sui Canonicatus possessionem, tam ex Iuris dispositione, quàm ex Statuto Capituli habetur pro Residente, & interessente horis Canonicis, licèt non resideat, nequè intersit horis Canonicis, cùm sibi debeat imputare Reuerendissimum Capitulum, si contra iustitiam impediuit tradere plenanariam possessionem Canonico, quotiès ex Processu apparebat de illius qualitate ad formam Statuti, proùt in casu nostro, vt liquet ex Decisionibus in tribus instantijs publicatis, & proindè aduersùs d.Statutum remissoria concedi non possit dfxit *Rota coram Coccin. decis.*2150. *num.*3., *&* *num.*9., *&* 19.

Et non solum dicta afferta consuetudo esset contra Ius, & contra litteralem Statuti dispositionem, sed esset iniqua, & irrationabilis post probatam à Canonico Commissario qualitatem à Statuto requisitam, nam cogeretur Prouisus sedere durante lite in prætenso Banco Patientiæ,& se subijcere derisionibus, & improperijs Canonicorum, & Ministrorum Capituli, & totius Populi cum maiori læsione honoris dicti Prouisi, si pendente lite super prætensa impuritate cogeretur,

tur,

tur, Prouisum residere in dicto scamno Pœnitentiæ, nunquam autem datur remissoria ad effectum probandi consuetudinem contra dispositionem Statuti, præsertim quoties omnes, & singuli Canonici in primo ingressu, non solum iurant obseruantiam dicti Statuti, sed etiam iurant non impetrare relaxationem dicti Iuramenti, & impetrata non vtitur, prout in dicto Statuto cauetur *dicto Summario num.1. litt.D.* quocircà si Statutum disponit, vt eo ipso, siuè statim ac ex Processu constiterit de qualitate Prouisi, licèt illi Capitulum non tradiderit Canonicatus possessionem, quod ille haberi debeat pro presente, & residente, ac fructus lucrari perindè acsi resideret, & horis Canonicis interesset, *Summario super dubio Declaratoriæ num.1. litt.I.* indè sequitur, vt non potuerit Capitulum introducere consuetudinem, iuxtà quam contra formam Statuti ille non habeatur pro presente, & residente, nisi in opprobrium Personæ qualificatæ, faciat residentiam in prætenso scamno patientiæ.

Quincto articulatur, quod dicta consuetudo, & obseruantia sit publica, & omnibus nota, prout notum est, & patens omnibus scamnum prædictum patientiæ, nam hic articulus nihil conducit ad Causam, & pro probato habemus, cum certum sit, quod ille, qui velit lucrari fructus à die præsentationis litterarum Apostolicarum, & per totum tempus, quo fiunt probationes, & videantur à Capitulo, oportet, vt sedeat in scamno patientiæ.

Sextum pariter articulum pro probato habemus, in eo enim articulatur, quod Canonicus, qui sedit in dicto scamno patientiæ post captam possessionem sui Canonicatus consequitur fructus mensæ Capitularis toto tempore, quo resedit in dicto scamno, quem pro probato haberi volumus, cum ad causam non conducat, cum Principalis non prætendat, neque fructus mensæ Capitularis, neque vestiarium à die præsentationis litterarum, & per totum tempus, quo Commissarius fecit Processum, & vsquequo Capitulum vidit, & examinauit dictum Processum, qui fuit examinatus die secunda Ianuarij 1713. neque ad illos fuisset condemnatum Reuerendissimum Capitulum sed prætendit fructus, & distributiones à dicta die secunda Ianuarij 1713., qua debebat admitti ad possessionem Canonicatus, & non fuit iniustè admissus, & denegata eidem admissio, quo casu, tam ex Iuris dispositione, quam ex forma Statuti debet haberi pro præsente, & residente.

Septimus articulus ad causam non conducit, nam in eo articulatur, quod Canonici postquam admissi fuerunt ad plenariam possessionem Canonicatus debeant per tres menses primo anno residere in d. scamno patientiæ, aliàs habentur pro absentibus quo ad fructus vestiarij, qui distribuuntur inter Residentes.

Etenim nunc non disputantur fructus futuri, quia Principalis non adhuc obtinuit legitimè, & iuxtà formam decisionum, & sententiarum Rotalium plenariam sui Canonicatus possessionem, vt probaui in

in mea Facti super Declaratoria, cum cœteroquisi, quatenùs essent verè articulata, adhuc D. Principalis, tamquam Inquisitor Regni Murtiæ actualis in Supremo Tribunali S. Inquisitionis Hispaniæ in omnibus habetur pro præsente, & interessente, & non tenetur ad aliquam residentiam, & lucrari debet omnes, & singulos fructus, iuxtà formam Priuilegiorum, quæ sunt notissima per Sedem Apostolicam concessorum DD. Inquisitoribus Supræmæ Inquisitionis Hispaniæ, itaut etiamsi post extraditam Principali legitimè, & ad formam litterarum Executorialium possessionem adhuc non tenebitur residere, neque in scamno patientiæ, neque in Choro, & Ecclesia, eique sunt persoluendi omnes fructus, & omnia emolumenta, & distributiones, perinde acsi resideret, vt sunt notissima Priuilegia per Sedem Apostolicam Inquisitoribus Regnorum Hispaniæ concessa, quæ inconcusè obseruantur in omnibus, & singulis Cathedralibus Ecclesijs Regnorum Hispaniæ.

Octauus articulus non facit ad Causam, nam in eo articulatur, quod nouiter Prouisus teneatur facere continuam residentiam personalem per annum continuum, sine qua annali residentia non participat de vestiario, sicut cœteri residentes, & in annis successiuis pro lucrandis fructibus vestiarij debet per tres menses residere, nam quidquid sit de veritate dicti articuli, ille non concernit hodiernam controuersiam, sed concernit futuram residentiam, à qua Principalis, tanquam Inquisitor in Supremo Tribunali Inquisitionis Regni Murtiæ est exemptus.

Nonus articulus pariter est irreleuans, in eo enim articulatur, quod inter redditus Canonicatuum dictæ Ecclesiæ Toletanæ adsunt anniuersaria, dotationes, & alia actu inseruientibus applicata, à quibus tantum lucrantur cum actuali interessentia, prout quoque lucrantur ab Infirmo, non autem lucrantur ab Absente, etiamsi absit ex quacumque iusta causa.

Etenim aut loquimus, quoad illa emolumenta actu inseruientibus debita à die, quo non fuit Principali concessa admissio Canonicatui, & pro tempore, quo lis durauit, & cum Principalis fuerit facto Capituli impeditus, vtique in omnibus, & per omnia debet haberi pro præsente, & residente in odium Capituli, qui præstitit impedimentum, ne Principalis admitteretur ad Canonicatus possessionem, & ne resideret in Ecclesia, ideoque toto tempore, quo à Capitulo præstitum fuit impedimentum, & quidem iniustè, debentur omnes fructus, & redditus, perindè acsi in Ecclesia resedisset, & omnibus functionibus Ecclesiasticis in Choro interfuisset tam ex Iuris dispositione, quam iuxtà formam Statuti, vt probauimus in nostra Facti super declaratoria.

Decimum, & vndecimum articulum Principalis habet pro probatis, & proindè nullatenùs est concedenda remissoria, solum excogitata ad

effe-

effectum eludendi Iudicata Rotalia, æternandi Litem, & vexandi inutilibus expensis Principalem, qui iam suum Patrimonium in tot annorum Lite ferè consumpsit pro defensione honoris suæ Familiæ cum omnibus non innotescat potentia Reuerendissimi Capituli aduersarij, à quo omnis conatus vsque modò fuit adhibitus, & non desistitur totis Viribus, & expensis, adhibere, ad hoc vt d. D. Principalis tot iniustis litibus, ac grauioribus expensis proprias vires excedentibus suffocatus remaneat, & ita indirectum consequatur Triumphum, quasi quod honor adeò Illustris Capituli magis elucescat in opprimendo, quam in admittendo, & fatendo Iustitiam. Quare &c.

Vitus Angelus Caualletti.

R. P. D.

CORIO

Toletana Canonicatus super prætensa Remissoria.

PRO

Illmo D. Iosepho Fernandez Iubera quisitore Regni Murtiæ, ac Canonico S. Ecclesiæ Toletanæ.

CONTRA

Illmos DD. Decanum, & Capitulum S. Ecclesiæ Toletanæ.

Facti

Super prætensa Remissoria.

Typis Zinghi, & Monaldi 1724

Die 14: Jan.ij 17[illegible]
rescriptum fuit = negatiue